DE
MORBORUM SIMPLICIUM DIAGNOSI ET CURA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE IV. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUILEL. FRIDERICUS HENRICUS LEVENS
LUBECENSIS.

OPPONENTIBUS:

G. LUETZENKIRCHEN, MED. ET CHIR. DR.
U. DE HALEM, MED. ET CHIR. DD.
J. SCHWARZ, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FERDINANDI NIETACK.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ATQUE CELEBERRIMO

CAROLO GUIL. ULRIC. WAGNER

MEDIC. CHIRURG. ET ART. OBSTETR., NEC NON PHILOSPH. DOCTORI, MED. PROF. PUBL. ORD., PHYSICO FORENSI APUD BEROLINENSES, ET SUPREM. IN RE MEDIC. EXAMINATORIBUS, SOCIETAT. MEDIC. CHIRURG. LONDINENS., EDINBURGENS., SOC. ORDIN. MEDICOR. ET MEDIC. AEMULAT. PARISIENS., PHYSICO-MEDICAE ERLANGENS., RER. NATURAL. STUDIOS. MARBURGENSIS SODALI

PRAECEPTORI SUO DILECTISSIMO

HASCE

LITERARUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Morborum simplicium conspectus.

Corpus humanum pluribus praeditum est qualitatibus, de quibus, quum earum a sanitatis norma aberratione summa morborum genera sese manifestent, paulo uberius nobis est exponendum, antequam ad ipsa morborum genera accedamus. Corporis autem qualitates, quae in sensus cadunt, hae sunt:

1) Qualitates mechanicae, quae eo efficiuntur, quod corpus ex materiis constat, quae spatium certum occupant.

2) Q. physicae, quibus id subest, quod corpus in partes minores dividi posest, quae magis minusve inter se cohaerent, nec minus, quod totum corpus gravitatis legibus paret.

3) Q. chemicae, quae eo continentur, quod

corporis materiae diversam habent naturam, cujus ope alia corpora aut attrahunt, aut repellunt.

Praeter has qualitates, corpori humano cum anorganicis communes, peculiaribus insuper criteriis gaudet, quae istis omnino desunt. Constat enim e singulis partibus et organis, quae, quamquam obnoxia temporis ac spatii legibus, unum tamen efficiunt organismum, ad quem conservandum omnia conspirant. Tum corpus nostrum periodismum certum absolvit i. e. per tempus certum modo vivit, quo elapso sponte sua interit. Attamen, ne cum individuo simul species pereat, generis sui propagandi potestate gaudet. Causam hujus rei actionumque variarum, quae inde pendent, vim vitalem appellamus, et phaenomena, quae ea efficiuntur, dynamica vocantur. Hac vi qualitates illae, quae corpori humano et anorganicis communes sunt, physicae, mechanicae, chemicae proprie modificantur propriisque subjiciuntur legibus. Denique corpus humanum non solum animatum est, sed divina quaedam flamma rationis, liberique arbitrii in eum agit. Discernendae igitur sunt, praeter illas jam supra nominatas:

4) Qualitates dynamicae.

5) Q. psychicae.

A qualitatum denominatarum concentu sanitas pendet, morbus autem ab illarum a statu normali deflexu et dissidio. Morbi, qui inde oriuntur simplices nominantur, quorum sunt discernendi:

I. Morbi dynamici.

II. Morbi organici.

A. M. chemici.

B. M. physici.

C. M. mechanici *).

---

*) Quamquam supra ostendimus corpus humanum animo praeditum esse, ejus tamen morbi huc non pertinent, quum per se aegrotare nequeat. Morbi enim, ut vocantur psychici, a vitiis materiae animalis, maxime cerebri ac systematis nervosi pendent. Itaque de solis vitiis dynamicis et organicis disseremus.

Pars prima.

De morborum simplicium diagnosi.

I. De morbis dynamicis.

Primum distinguenda sunt, sicuti in reliquarum qualitatum vitiis, ita etiam in hisce:

1) Vitia dynamica primaria, ubi vires vitales proxime afficiuntur et quibus alia vitia gignuntur.

2) V. d. secundaria, quae ceteris qualitatibus perturbatis originem debent.

Morbi dynamici autem assumuntur, si quidem partium functiones laesae sunt, ast vitia materialia detegi nequeunt. Quod vitia ejusmodi non detegimus, id a solis diagnoseos nostrae angustiis pendere videtur. Nunquam enim quum, quidquid vivat et animatum sit, nec sola vi, nec materia sola existat, sed ambabus intime conjunctis, morbus aut solam materiam, aut solas vires afficere potest, sed universam semper vitam corporisque fabricam corripit. Quamdiu autem diagnosis nostra ita coercetur, probari potest morborum divisio in dynamicos et organicos.

Vitia igitur virium vitalium, quae, uti supra monuimus, dynamica vocantur, haec sunt:

1) Sthenia.

In sthenia vis vitalis revera aucta esse videtur. Nimia virium vitalium actione motuque accelerato insignis est, ideoque manifestatur pulsu pleno et duro, respiratione alta et alacriore, humorum, inprimis sanguinis abundantia, calore aucto, digestione facili et alacriore, adaucta cerebri nervorumque functione aliisque ejusmodi symptomatibus.

Talis vitae intensio in omnibus corporis organis aequabiliter vigens, sanitatis potius luxuriantis, quam morbi nomine induenda videtur, attamen, quum corporum organicorum reproductio et destructio secundum certas et stabilitas naturae leges procedant, facile intelligimus, vitam, quo fortius et citius agat, eo citius etiam perire. Immo vero status revera morbosus eo magis est timendus, si sthenia singula modo systemata corripit, quo organismi harmonia turbatur.

Proclivitas ad stheniam in singulari quadam corporis conformatione versatur, ad quam procreandam aer purus, siccus et densus, cibi potusque valde alibiles, digestio vivax, aequabilis omnium organum exercitatio contribuunt.

2) Asthenia.

Asthenia pendet a virium vitalium inopia, non, id quod torpore probatur, ab earum suppressione et stimulorum inopia. Itaque corporis actiones in statu asthenico praeter morem debiliter ac lente

procedunt. Monendum tamen est, debilitatem veram non semper esse universalem; namque possunt in eodem corpore aliae partes debilitate afflictae esse, aliae nimio excellere vigore. Quamdiu asthenia illa non universalis morbus est, variam exhibet in variis partibus indolem et quamquam ubicunque motionis et virium defectione ac debilitate insignis est, proprio tamen modo fere semper manifestatur.

Dispositio, qua homines ad debilitatem illam opportuni redduntur, nonnullis est hereditaria. Causae occasionales quaerendae sunt in nutrimentorum penuria, larga sanguinis aut aliorum humorum jactura, praecipitata substantiarum organicarum resolutione, quae accidit in omnibus morbis phthisicis et colliquativis. Praeterea asthenia indirecte gignitur nimia, qua vires vitales consumuntur, praegressa irritatione.

3) Irritatio.

Irritatio, qua aut totius corporis aut singularum partium vita nimis incitata est, in variis vitae muneribus vario modo manifestatur. In formatricis vitae munere magna quaedam cernitur effervescentia et actio concitata, a norma tamen et a scopo suo alienissima. Itaque, si incitatio illa fines certos non transgreditur, se- et excretiones adauctas, sin nimia est, perversas aut suppressas videmus. Hoc praesertim valet de renum cutisque actione. Virium, quae motui praesunt, irritatio manifestatur majori arteriarum musculorumque mobilitate, inepta vero, vigore carente, tum convulsionum, tum congestionum san-

guinearum effectrice. Vitae sensiferae irritatione ejus aequabilitas tollitur tantaque nervorum intemperies efficitur, ut parvis jam stimulis magnopere turbentur. Denique etiam animus irritatione illa afficitur, quae praesertim manifestatur inquieta phantasiae agitatione et inconstantia, judicii perversitate atque intelligentiae inconcinnitate. Certa omnium partium irritatio, febris audit, singularum inflammatio.

Inclinant ad irritationem homines validi et alacres, nascitur incitamentis vehementibus.

4) Torpor.

Hic status vitae irritationi contrarius est et insolita significatur inertia, cujus vero ut notio idonea stabiliatur, monendum est, nos vere imminutam efficaciam vitalem torporem non appellare, sed solam vitae oppressionem et impeditam functionem; itaque vulgo etiam suppressio virium s. debilitas spuria vocatur. Torporis indoles cognoscitur insigni totius corporis, aut singularum partium languore e. g. pulsu tardo, interdum intermittente, respiratione debili, digestione lenta, urina ac sudore suppressis, nervorum tarditate, sensuum hebetudine, cerebri defatigati ignavia, sopore, membrorum resolutione aliisque debilitatis spuriae signis.

Proclivitatem peculiarem ad torporem habent ii, qui in astheniam inclinantur, nec facile irritantur, morbi gignendi occasionem praebet stimulorum sufficientium inopia.

5) Alienatio virium vitalium.

Vitae alienationem id nominamus vitium, quo

quo vis vitalis nec aucta, nec imminuta apparet, nec praeter morem irritata, nec suppressa est, sed qualitative mutata, ita ut corporis functiones non justo fortius quidem aut debilius exigantur, sed propriam suam naturam non retineant. Mutata virium vitalium indoles eo manifestatur, quod et formatrix corporis vita, et indoles ejus perturbatur, quare partes fluidae ac solidae prave et incongrue aluntur; illae ad dissolutionem proclives et chemicis legibus obnoxiae, humorum δυσκρασίαν, ut dicitur, exhibent; hae insolitam quandam formatricium virium atque sic affectam ostendunt effervescentiam, ut e materia animali depravata novae et incongruae formae gignantur. Motricium virium alienatio perversis motibus cognoscitur et modo quodam inconcinno, quo partes se movendi potestate gaudentes, incitamentis repugnant. Itaque musculi irregulariter contrahuntur, sanguinis circulatio et respiratio, id quod peculiaribus signis denotatur, valde perturbatae sunt. Vitae sensiferae intemperies nervorumque vita et indoles mutata variis affectionibus, aegritudinibus, doloribus, vertiginibus, sympathiis partium morbosis aliisque signis manifestatur.

Homines valde irritabiles ad vitium illud inclinant, cujus eruptionem efficiunt alimenta et incitamenta inconsueta ac depravata, omnino praeternaturalis vivendi ratio.

Haec sunt vitia dynamica, quae inprimis vires vitales corripiunt, et opposita sunt vitiis corporis organicis, de quibus nunc erit sermo.

II. De morbis organicis.

A. De morbis chemicis.

Morbos chemicos vocamus eos, quibus partium corpus constituentium qualitates chemicae apparent morbosae; hisce autem signis stipantur:

1) Secretionibus anomalis; eveniunt enim in iis processus, quales in statu normali non observantur.

2) Excretionibus, ab iis, quae in statu sano procedunt, longe discrepantibus, quum aut formam suam locumq. mutaverint, aut, quod ad copiam, a norma recedant.

3) Qualitate et solidarum et fluidarum partium chemica magis minusve mutata.

4) Functionibus solidarum partium propriis et inconcinnis, quae interdum pseudoproductionibus adjuvantur.

Causae, quibus vitia illa efficiuntur, aut directae, aut indirectae sunt; directe nascuntur rebus alienis corpori illatis, aut se- et excretionum suppressione, indirecte morbi chemici vitiis dynamicis gignuntur.

Nostra autem morborum chemicorum divisio duas amplectitur species generales.

1) Morbos elementorum s. Stoechionousos (a Graecis verbis στοιχείωμα, elementum et νοῦσος,

morbus), quibus corporis elementa, e. g. carbogenium, mutata sunt *).

2) M. compositorum s. Dyscrasias, Cachexias, Cacochymias; sic audiunt morbi, quibus partes corporis compositae e. g. albumen, materia fibrosa, maxime corripiuntur, quod videmus in syphilide, scrophulosi, arthritide **).

Qui medici omnes morbos a solis humorum vitiis oriri putabant, eadem etiam vitiorum chemi-

---

*) Morbi elementorum, ita dividi possunt:

a) Stoechionousos pleonasticus (a Graecis verbis πλεονάζω, abundo), qui elementi cujusdam e. g. carbogenii in morbo coeruleo, abundantia manifestatur.

b) St. apolipticus (ἀπολείπω, relinquo), in quo elementi cujusdam copia est diminuta. Hoc valet e. g. de chlorosi, quae a diminuta ferri in cruore quantitate pendet.

c) St. allotriousios (ἀλλοτριάζω, alienus sum), in quo elementum corpori alienissimum ei infertur, quod fit v. c. toxicatione saturnina.

d) St. antanalogicus (a Graecis verbis ἀντὶ et ἀναλογέω vocatur morbus, quae quantitas elementi cujusdam justo major, alterius simul solito minor est, id quod occurrit in morbo coeruleo.

e) St. universalis s. catholicus, in quo omnia vitia nominata simul adsunt; nam aliud elementum copiam justo majorem, aliud solito minorem exhibet, aliud denique corpori alienissimum est.

**) Morborum compositorum tres varietates distingui possunt:

a) Quantitas compositorum mutata, quae accidit in obesitate.

b) Qualitas comp. morbosa, quae in omnibus cachexiis occurrit.

c) Error loci compositorum.

corum fundamenta maxime accusabant, ex quibus discernebant:

1) spissitudinem. 2) tenuitatem.
3) acrimoniam.

Praeterea humores quosdam principales vitiorum chemicorum fontes singulatim habebant, eosque,

1) Sanguinem, cui adscribebant:

a) spissitudinem inflammatoriam, qua qui stipatus est sanguis, magis calet, turget partiumque praestantissimarum, cruoris et materiae fibrosae abundantiam exhibet, quare e vena missus crusta inflammatoria obductus esse solet.

b) dissolutionem s. resolutionem, qua sanguis justo fluidior, nec ad coagulationem propensus est.

c) Spissitudinem atrabilariam. Atrabilarius sanguis a veteribus habebatur is, qui spissus, nigricans, solido, quod autem crusta pleuritica caret, crassamento imbutus est. Ejusmodi sanguis iis in morbis efficitur, qui ab ejus stagnatione pendent e. g. in morbo hypochondriaco, nigro.

d) Mucositatem, spissitudinem pituitosam. Sanguis mucosus crassamento solido non obtectus, albumine non satis elaborato abundat; simul in toto corpore muci secretio adaucta est. Hoc vitio praecipue homines phlegmatici luborant.

e) Tenuitatem aquosam, colluviem, cacochymiam aquosam, qua sanguinis serum, multitudine praevalet, cruore et fibrosa materia fere integris.

2) Succos ad digestionem necessarios.

a) Succum gastricum, cujus vitia sunt:

α) acrimonia s. cacochymia acida

β) — s. — rancida

b) Bilem, quae hisce morbis affici posse dicebatur:

α) Polycholia s. plethora biliosa, qua non solum bilis secretio adaucta est, sed etiam sanguis ejus elementis abundat.

β) Spissitudine, qua bilis solito spissior est, albumine ac materie adipocerea referta.

γ) Aquositate, quae in cachexiis quibusdam, quae digestioni officiunt, viresque debilitant, non rara est et bilem materie adipocerea, extracto omnibusque iis particulis, quae idoneum praebere possunt stimulum, privat.

B. De morbis physicis.

Ad morbos physicos numeramus eos, quibus partium aequalium cohaesio violatur et quorum duo status contrarii sunt discernendi:

1) Cohaesio aucta, rigiditas, robur, id cohaesionis vitium exhibet, in quo nutritione a norma aberrante, solito major organis cohaesio impertitur. Pro vario gradu, ad quem evehitur vitium illud, dicitur:

a) Tena-

a) Tenacitas, quae eam significat rigiditatis speciem, in qua partes non nisi vi magna possunt extendi.

b) Durities, qua partium extensio omnino sublata est.

Cognoscitur rigiditas illa et mobilitate partium diminuta mechanica, et vitae internae vigore decrescente.

Proclivitas ad vitium illud interdum est hereditaria, tum sexus virilis, aetas provectior, temperies melancholica et cholerica ei gignendo favent. Causae occasionales rigiditatis cernuntur in educatione et vitae ratione indurante, laboribus molestis, frigore, largiore nutrimentorum solidorum, spirituosorum usu.

2) Cohaesio imminuta s. atonia quatuor diversitates exhibet:

a) Teneritudinem, tenerum gracile, quod eam debilitatis speciem exprimit, in qua fibrae quidem corporis tenerae ac graciles sunt, sed earum actio et mobilitas adaucta, non diminuta est. Attamen debiliter et irregulariter contrahuntur, quod si fortissime accidit, facile rumpuntur.

b) Laxitatem, laxum; partes facile extenduntur, nec satis contrahuntur; ubique magna humorum aquosorum et mucosorum copia reperitur, sensibilitas est imminuta, quare motus debiles ac lenti contingunt, humores stagnant, vasa sunt amplificata et saepe humores stagnantes emittunt.

2

c) Mollitiem, quae iisdem fere signis, quibus laxitas manifestatur; sed mollitie modo ossa, tum singula, tum totius corporis afficiuntur.

d) Fragilitatem ossium, quae a nimia calcariae phosphoratae copia, partiumque animalium inopia pendet. Quamobrem ossa facile franguntur eorumque cohaesio diminuta est.

Nascitur atonia illa motu neglecto, otio, aere calido, et humido, largiore balneorum calidorum et nutrimentorum aquosorum usu, aliisque momentis.

C. De morbis mechanicis.

Morbos mechanicos vocamus eos, quibus qualitas corporis mechanica perturbatur. Sicuti in reliquis, ita etiam hic praesertim distinguendi sunt:

1) Morbi mechanici primarii, qui immediate vi mechanica externa gignuntur.

2) M. m. secundarii, qui, radicibus in alio morbo (vitiis dynamicis aut chemicis) haerentibus, nonnisi vi mechanica accedente nascuntur.

Prout autem partium structura, aut textura etc. mechanice afficiatur, distinguimus:

a) Morbos s. vitia configurationis s. structurae.
b) — — — texturae s. organisationis.
c) — — — magnitudinis.
d) — — — contiguitatis.
e) Morbos s. vitia continuitatis.

Hisce denique addere possumus.

f) Morbos s. vitia numeri.

a) Morbi configurationis s. structurae.

Vitia illa, quae valde variant, mutatam structurae rationem exhibent, ac facile cognoscuntur, si partes externae, difficilius, si partes internae iis corripiuntur: tum vero vitia ea adesse, colligendum est, si et ipsarum partium, et earum, quibuscum consentiunt, actio laesa est.

Causae illorum morborum sunt:

1) indirectae e. g. victus depravatus, concoquendi vis debilitata, quibus proxime vires vitales afficiuntur.

2) directae, ut violentiae mechanicae.

b) Morbi s. laesiones texturae sunt:

α) Mutatio partium in substantias novas et insolentes, quae vero corpori non prorsus sunt inconcinnae. Huc pertinet anomala partium mutatio in telam cellusosam, adipem ossa, etc.

β) Telarum mutatio in productiones corpori alienissimas.

γ) Desorganisatio, ubi structura organica prorsus deleta est, id quod valet de gangraena, comminutione aliisque. Morbi texturae praecipue actione organorum laesa cognoscuntur.

Eorum causae sunt: 1) directae scl. noxae mechanicae 2) indirectae scl. virium dynamicarum et chemicarum vitia.

c) Morbi magnitudinis.

Prout corporis totius vel singularum partium volumen abnormi ratione aut increscat, aut decrescat, vitia illa gignuntur, quae vocantur:

α) Hypertrophia.

β) Atrophia.

Illa pendet ab aucta vi conformatrice, quam adesse dicimus, ubi majorem materiae organicae molem generari videmus, quam ad naturalem organorum formationem et reproductionem, et ad ipsum processum vitalem injusto tenore sustinendum, requiritur.

Causae hypertrophiae sunt, nutrimenta copiosa, quae simul admodum sunt alibilia, vegeta concoquendi vis; alia, quibus vires aut dynamicae, aut chemicae, aut ambae simul augentur.

Quidquid autem vires minuit, quibus corporis materia redintegranda est, atrophiam gignit, in qua substantiae organicae reproductio ejus destructioni impar est.

Tam hypertrophiae, quam atrophiae, si externae partes iis laborant, diagnosis facilis est, sin organa interna afficiunt, et eorum et vicinarum partium actiones turbatae nos certiores de iis faciunt. Attamen nec incremento, nec decremento organorum semper eorum actiones fortiores aut debiliores redduntur.

d) Morbi contiguitatis.

Vitia contiguitatis ea intelligimus, quibus fit, ut vel tota organa, vel singulae eorum partes, locum, quem tenuerunt, relinquant; si illud accidit, vitium audit:

α) *ectopia* — ἐκ et τόπος — quae vocatur, si ossa afficit:

αα) *luxatio*.

ββ) *hernia* aut *prolapsus*, si partes molles locum suum mutarunt.

Si hoc evenit:

β) *ectasia* (ἐκτείνω) vel *compressio* (θλίψις), prout partes singulae a se removeantur, aut comprimantur.

Diagnosis vitiorum illorum et sensibus, et functione organorum affectorum perturbata stabilitur.

Causae sunt noxae mechanicae.

e) Morbi continuitatis.

Morbi ejusmodi sunt:

α) *Dialysis* (διαλύω) vitium, quo organa, quae totum efficiant necesse est, plures in partes sejunguntur.

β) *Symphysis*, si partes molles, natura disjunctae, coalescunt, et *ancylosis*, si partes durae natura dissociatae, conjunguntur.

Dialysis s. partium natura conjunctarum discidium subdividitur in:

αα) *vulnus*, prout partes molles, aut

ββ) *fracturam*, prout partes durae sejungantur.

Tam vulnerum, quam fracturae diagnosis haud difficilis est, quod etiam valet de abnormi partium externarum coalitione; partium autem internarum conjunctio anomala difficile, saepius omnino non cognoscitur.

Causae, quibus vulnera et fracturae gignuntur, semper constant noxis mechanicis, coalescunt autem partes nonnisi inflammatione praegressa.

f) Vitia numeri.

Vitia numeri duplici modo nascuntur:

α) Pleonasmo, qui cernitur in partium duplicatione et plerumque a nimia in homine orta et provecta reproductione pendet. Quum autem experientia docuerit, partium majorum jacturam natura esse restitutam, facile fieri potest, ut pleonasmus ille etiam vita durante oriatur.

Externarum partium pleonasmus facile cognoscitur, internarum modo actione mutata, plerumque laesa. Interdum pleonasmus simulatur, si partes natura coalitae e. g. penis, renes disjunctae sunt.

β) Defectu partium.

Pars quaedam aut tota deest, aut mutilata est. Vitium id congenitum, aut in vita laesionibus, suppuratione, gangraena est acquisitum.

De diagnosi ejus idem valet, quod de pleonasmo; functionibus laesis modo statuitur.

Pars secunda.

De morborum simplicium cura.

Omnes, qui exstant, morbi tum natura, tum arte sanantur; ars modo naturae ministra et imitatrix est, quamobrem eadem ratione, qua natura debet mederi.

Natura autem eas adhibet curationes:

1) Curationem causalem, qua morbi caussas removet.

2) C. radicalem, qua morbum cum omnibus symptomatibus, causis ac sequelis perniciosis radicitus evertit. Haec autem est:

a) directa, quae cernitur in ipso statu morboso removendo et sanitate adducenda.

b) indirecta, qua natura sanat quidem, sed alio morbo excitando, quod fit:

α) metaschematismo, cujus ope in ipso organo laborante novus morbus excitatur.

β) metastasi, quae in eo est posita, quod a natura in alia parte morbus efficitur, qui priorem supprimit.

3) C. symptomaticam, qua natura symptomata morbi supprimit, dum ejus ope aliud organon

partis affectae vices tuetur, aut pars ipsa morbo durante agere incipit.

Eadem, quae de vi medicatrice naturae diximus, de arte medendi valent, quae itidem curam causalem, radicalem ac symptomaticam exhibet.

Haec suppeditant ad intelligenda ea, quae nobis monenda sunt de morborum simplicium cura.

I. De morborum dynamicorum cura.

---

1) De stheniae curatione.

Stheniae curatio id praesertim agit, ut nimius virium vitalium vigor s. excessus, debilitetur, quod fit:

Vi naturae, aut directe corporis materiam diminuente, quo simul vires vitales consumuntur, quod perficit haemorrhagiis aliisque profluviis excitatis, aut indirecte, irritationis nimiae detractione, cujus eventus est virium vitalium debilitatio.

Ars medendi autem stheniae hoc modo medetur:

a) Cura causali, quae ad causas, quales sunt, haemorrhagiae suppressae, nutrimenta large nutrientia etc. amovendas spectat.

b) C. radicali, quae instituitur:

α) directe methodo debilitante.

Haec humorum ac virium diminutione nititur, quae optime contingit sanguinis missionibus, ciborum ac stimulorum remotione, medicamentis, quibus vis debilitans inest.

β) indirecte, et quidem

vel methodo alterante, quae versatur in talibus stimulis ádhibendis, quibus vires vitales ita excitantur, ut per se consumantur.

vel m. derivante, quae optime per organa secretoria instituitur, quibus qualiscunque materia supervacua e corpore removetur. At medicamenta derivantia non debent nimis incitare, quod eorum vis excitans facile totalis evadit. Itaque purgantia calida hic non sunt indicata, sed salia, pulpa Tamarind., Ol. Ric. aliaque.

c) C. symptomatica, quae methodo sedante instituitur.

2) De astheniae curatione.

Asthenia modo sanatur corpore roborando et nutriendo, quod contingit natura corpori plures partes nutrientes adducente, quibus etiam ejus vires augentur. Quamobrem aegri naturae impetu multos cibos quaerere coguntur.

Arte medendi autem asthenia sanatur:

a) Cura causali, quae astheniae causas amovendas spectat.

b) C. radicali, et quidem:

α) C. r. directa, quae procedit methodo roborante s. nutriente. Haec methodus eo nititur, quod corpori substantias praebemus, quibus magis nutritur ejusque vires augentur. Optime id contingit per organa digestiva, quare cibi alibiles, nutrimenta animalia, medicamenta amylacea, gelatinosa, albuminosa, mucilaginosa aegris porrigenda sunt. In-

terdum incitamentis opus est, quo pertinent aromatico-amara.

β) C. r. indirecta

αα) Methodo alterante, qua asthenia ita sanatur, ut stimulorum ope in irritationem mutetur, qua irritatione, si cibi satis alibiles simul adhibentur, vires etiam vitales augentur.

ββ) Methodo derivante. Etenim, quo magis aliud organon debilitamus, eo magis reactio in eo accrescit, quod primo laboravit.

c) C. symptomatica, quae continetur majori virium vitalium excitatione.

3) De irritationis medela.

Irritationis cura itidem aut natura, aut arte instituitur. Natura eo sanat, quod irritatione ipsa major et virium et materiae quantitas consumitur, quam corpori adducitur, cujus consumtionis eventus necessarius quies est. Itaque aegri naturae impetu quietem quaerere omnesque stimulos evitare coguntur.

Eundem scopum, quem natura, habet ars medendi; qui enim scopus est:

a) Curatio causalis, qua omnia, quibus irritatio nascitur, incitamenta removentur.

b) C. radicalis.

α) C. r. directa; directe medemur methodo antiphlogistica, quae versatur in comminuendis removendisque omnibus incitamentis. Itaque aegri a calore, luce, aere nimis sicco, a cibis potibusque irri-

tantibus sunt tuendi, sed corporis et animi tranquillitas iis est necessaria. Ex medicamentis acida sunt adhibenda, si systema vasorum, narcotica, si systema nervosum irritatione laborat.

β) C. r. indirecta, quae exigitur:

αα) Methodo alterante ita, ut incitamentis vehementioribus quies et exinanitio efficiatur.

ββ) Derivanda irritatione ad aliud organon.

c) C. symptomatica, cujus finis est, ut sequelas perniciosas arceat, quas habere solet irritatio nimia.

4) De torporis medela.

Naturae vi torpor directe eo sanatur, quod ignavia ipsa vires vitales accumulantur, quo fit, ut eo facilius denuo agant, aut indirecte alio in systemate irritatione provocata. Simul aegri magno tenentur incitamentorum desiderio, quo etiam vitae actio augetur.

Artis medendi finis est:

a) Causas amovere.

b) Radicitus sanare, quod fit:

α) directe methodo excitante s. irritante, quae cernitur in stimulis insolitis excitandis. Huc referenda sunt calor, lux, aer oxygenio impletus, ex medicamentis praesertim Aetherea, Olea aetherea, Spirituosa, Naphthae.

β) indirecte.

αα) Methodo alterante ita, ut incitamentis fortioribus irritationem praeternaturalem efficiamus, quae sensim ad actionem normalem regreditur, aut roborando stheniam excitemus.

$\beta\beta$) Methodo derivante, cujus ope in alia quadam parte torporem excitamus, quo actio in organo primo laborante crescit.

c) Symptomata supprimere, cui scopo assequendo methodus roborans inservit.

5) De curanda virium vitalium alienatione.

Haec alienatio tollitur vi naturae medicatrice eo, quod inter materiarum vicissitudinem partes perniciosas e corpore removet, alias aptiores assimilat, quibus vires vitales normales redduntur. Aegri plerumque peculiarium ciborum appetitu tenentur.

Arte:

a) Cura causali, quae hic maximi momenti est et ad nutrimenta et incitamenta perversa amovenda, vitaeque rationem aptam instituendam spectat.

b) C. radicali et quidem:

α) directa, quae instituitur methodo alterante, cujus ope humores depravati e corpore amoventur, meliores ei advehuntur viresque alienatae ad normam reducuntur. Materia depravata se- et excretionibus, inprimis cutis renumque, augendis, corpore educitur, alimentis aptis melior redditur.

β) indirecta, quae interdum perficitur:

$\alpha\alpha$) mutatione status morbosi, dum vitium aliud qualitativum virium vitalium excitamus; saepius tamen:

$\beta\beta$) derivatione, dum aliud organon irritamus, quo partis affectae functio alienata sedatur.

C. symptomatica, quae in eo est posita, quod partis aegrotantis debilitatione actiones ejus anomalas, ad tempus saltem, tollimus.

II. De morborum organicorum cura.

A. De vitiorum chemicorum medela.

Divisio, quam supra statuimus in morbos chemicos elementorum et compositorum ad praxin quidem, quum ex toto modo discernere possimus, utrum vitium chemicum adsit, nec ne, non accommodata est, quod tamen nullam habet vim in curam.

Natura eandem fere adhibet, quam in sananda virium vitalium alienatione medelam. Removet enim sensim partes perniciosas e corpore, idque pro diversa vitiorum natura diverso modo.

Ars autem:

a) Causas amovere studet

b) Curam radicalem instituit, quae procedit,

α) directe methodo alterante eadem ratione, qua in virium dynamicarum alienatione.

Secretionibus igitur, praecipue renum cutisque augendis materias vitiosas auferimus, simul medicamentis utimur, quibus vasorum lymphaticorum actio augetur. Ejusmodi remedia sunt Antimonialia et Mercurialia. Praeterea per tempus aliquot victum

tenuem praebemus; viribus vitalibus ad normam reductis, iterum alimenta quibus plus inest nutrimenti, porriguntur.

β) indirecte sicuti in virium vitalium alienatione vel methodo alterante vel derivante.

c) Symptomata supprimit, quod eodem modo fit, quo in virium vitalium alienatione; saepius palliative medemur.

B. De morborum physicorum cura.

1) De rigiditatis cura.

Medela radicalis instituitur methodo relaxante s. emolliente. Remedia, quibus haec methodus expeditur, ea sunt: Oleosa, Mucilaginosa, Gelatinosa, Metallica quaedam c. g. Hydrargyrum, Antimonium. Praeterea huc pertinent cibi et potus aquosi, diligens aquarum usus, aer humidus etc.

2) De laxitatis medela.

Laxitatis cura cohaesione fibrae organicae augenda nititur, quod fit: methodo adstringente s. exsiccante, qua fibrae cohaesio crescit, secretiones diminuuntur, humorumque copia coercetur. Ex medicamentis huc referenda sunt: Amara, Resinosa, Acida, inprimis Mineralia, Metallica quaedam etc. Adstrictionem diaeta adjuvare debet. Expedit enim eum, qui relaxatas partes habet, in aere sicco, frigido degere, alimentis uti, quae stomachi vires non debilitant, siccioribus, carne assa magis, quam elixa, vegetabilibus generatim minus, quam carnibus.

Vitare debet potum copiosum, maxime calidum.

C) De morborum mechanicorum cura.

Ut horum morborum sanatio exponatur, monuisse sufficiat, eos aut primarios, aut secundarios exstare, quorum illi, quum a mechanicis causis oriri soleant, ad curam radicalem

Methodum mechanicam requirunt, quae instrumentorum chirurgicorum ope iis succurrit; hi autem, quum in reproductionis vitiis radicentur

Methodum alterantem, quae quo modo exsequenda sit, jam supra est expositum.

VITA.

Ego, Guilelmus, Fridericus, Henricus, Levens, fidei addictus evangelicae, in vico Lubecensi, qui dicitur Moisling, a. d. V. Cal. Decbr. A. MDCCCIV. natus sum, patre Carolo Levens, quem nunc defunctum deploro, matre dilectissima Margaretha, e gente Link, quam adhuc vivam gratia divina mihi servavit.

Primis literarum elementis imbutus anno aetatis decimo quinto gymnasio Lubecae florenti

traditus sum, studiisque ibi rite absolutis A. MDCCCXXV. Berolinum petii ibique d. XXVI. m. Octobr. ab Ill. Boeckh, t. t. Rectore magnifico inter cives academicos receptus, ab Ill. Link, t. t. Decano spectabili, medicinae studiosorum numero adscriptus sum. Ex illo tempore per XXXVI menses hisce interfui ill. virorum praelectionibus: Cel. Casper de propaedeutice medica, Ill. Hermbstaedt de chemia experimentali, Ill. Link de botanice, Ill. Lichtenstein de zoologia et historia naturali ferarum, Ill. Knape de osteologia et syndesmologia, Ill. Rudolphi de anatomia c. h. et organorum sensuum foetusq., Ill. Rudolphi et Knape in arte cadaverum rite dissecandorum duces mihi fuerunt. Cel. Ritter de psychologia, Cel. Hecker de pathologia generali, Ill. F. Hufeland de therapia generali, nec

non de semiotice, Ill. Horn de pathologia speciali, Ill. Wagner de therapia speciali disserentes audii. Cel. Sundelin materiam medicam, Ill. Link pharmacologiam ac toxicologiam, Ill. Horn morbos psychicos et syphiliticos cognoscendos et curandos, Cel. Casper morborum inſantuum medelam et ſormularum conscribendarum artem, Cel. Jüngken doctrinam de cognosc. et curand. oculorum morbis me docuerunt. Cel. Osann de ſontium medicatorum indole dicentem audii.

A. h. s. octavo Berolinum reliqui et per sex menses domi moratus sum, quo tempore elapso, Haſniam adii, ibique praelectionibus Ill. Callisen de chirurgia, Ill. Herholdt de physiologia, Ill. Saxtorph de arte obstetricia interſui. Praeterea Henke et Rorbye, chi_

rurgos legionarios, de anatomia ac medicina forensi disserentes audivi. Swizzer prosector, et Papke akiurgiam mihi tradiderunt, nec non nosocomia, quae Hafniae exstant, chirurgica et medica frequentavi.

Per annum ibi moratus ad almam musarum sedem Berolinensem redii atq. ab Ill. Hegel, rectore magnifico in civium academicorum numerum receptus, ab Ill. Wagner, Decano amplissimo ordinis medicorum albo adscriptus sum. Ab hoc inde tempore Ill. Wagner de akiurgia dicentem audivi, Cel. Schlemm ad operationes chir. me instituit. Denique scholis clinicis medicis Ill. Wolff et Barez, chirurgicis Ill. de Graefe et Rust, ophthalmiatricis Ill. Jüngken, obstetriciis Ill.

Busch interfui. Quibus viris ornatissimis maximas, quas possum, gratias ago.

Jam tentaminibus et examine rigoroso rite absolutis, gratiosum medicorum ordinem oro atque rogo, ut dissertatione ac thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. *Praecipuus caloris animalis fons in pulmonibus est ponendus.*

II. *Aer ut vitae, sic et morborum causa.*

III. *Arteriarum pulsus a sola cordis vi pendet.*

IV. *Omnia mediocria ad vitam prolongandam sunt utilia.*

V. *Gangraena amputationem non indicat.*